



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

29. Hoc fac, & viues.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

sub præuaricationis pœna obligare, sed per modum doctrine, quò cõtendere debeamus, ordinare. Verùm diligere Deum habitualiter, & per opera dilectionis externa, in omni sua operatione retinendo habitualemente Dei dilectionem, & sic toto corde, vt præcipuè Deus diligatur, homo in hac vita potest & debet. Et sic intelligendum esse hoc præceptum, illa alia Scripturæ verba manifestissimè docent: *Onus meum leue est, Mandata eius graua non sunt, & alia huiusmodi.*

Matth. 11
1. Ioan. 2.

29. *Hoc fac, & viues.*

Opera
bona vitæ
æternæ
causâ.

QUVM horum verborum manifestus & perspicuus hic sensus sit, Hęc dilectio Dei & proximi illa opera sunt quæ facere debes vt vita æterna viuas, vt sic quæstioni legis periti satisfaceret Christus, qua quærebat etsi animo tentandi, *quid faciendo, id est, per quæ tandè opera, vitam æternam possideret;* totum hunc sensum prorsus inuertit Calvinus, & vult *consiliu Christi fuisse calumniam diluere, qua sciebat apud rudes & indoctos se grauari, quasi legem, quatenus perpetua est iustitiæ regula, euerteret.* Sed totum hoc merum figmentum est. Consiliu Christi fuit, non rudium & indoctorum calumniam diluere, de qua nihil in textu apparet, & à Caluino fingitur vt aliò lectoris animum auertat; sed istius legis periti quæstioni satisfacere, qua tentare & experiri volebat, an legis Moyseicæ mandata Christus approbaret, de quo apud ipsos Scribas & doctos Iudæos sciebat se in suspicionem & calumniam trahi. Hoc falso posito fundamento, ait hoc loco Calvinus: *Non ideo nos gratis iustificat Deus quia lex non ostendit perfectam iustitiam, sed quia in eius obseruatione deficimus omnes: ideoque nos ab ea vitam conse-*
quã

qui negat Christus, quia infirma est in carne nostra. Hæc Mendacium, & aperta verborum Christi contradictio.

ille. Non solum fabulam narrat à contextu Evangelico alienissimam, sed etiam, si rectè attendatur, Christi verbis manifestè contradicit. Fabula est, & à contextu præsentis alienissima, cuius nec minimum in textu apparet vestigium, uos gratis iustificari à Deo quia in lege deficiamus omnes, & non quia lex non ostendit perfectam iustitiam: Nos autem à lege, id est, à legis obseruatione vitam non consequi, aut Christum hoc negare, disertissimis Christi verbis ex diametro contrarium est. Dicit enim Christus: *Hoc fac, & viues*: id est, faciendo mandata legis viues. Ait Calvinus Christum dicere: *Faciendo legem non viues*. Sic eius interpretatio textum destruit, & Christi verba penitus inuertit.

Iam verò si hæc verba, *Hoc fac, & viues*, non continent expressum Christi mandatum de faciendo quod lex iubet, & disertam affirmationem quòd eam faciendo vitam cōsequemur, tunc etiam illa alia Christi verba ad eundem legis peritum, *Vade, & factu similiter*, non erit aliquod Christi mandatum de faciendo quod fecit ille Samaritanus, sed erit tantum regula iustitiæ ad imitandū quod nemo imitari potest. Vnde sequetur non nisi fabulam à Christo recitatam fuisse, & non solum talem aliquem Samaritanum nō fuisse, sed nec esse potuisse. Nam si vnus Samaritanus sic facere potuit, cur non & alius quilibet idem possit facere? Ergo si, *Vade, & factu similiter*, præceptum est eius quod fieri potest ac debet; illa quoque verba, *Hoc fac, & viues*, præceptum similiter continebant eius quod fieri potest ac debet, cum adiuncta promissione vitæ æternæ.

Taxat postea Calvinus, sub nomine defenso.

Li 4 rum

Patres à
Caluino
sine causa
data accu-
sati.

rum liberi arbitrij, doctiss. Patres Augustinum, Ambrosiū, & alios, qui affirmant sub typo huius vulnerati Samaritani curantis eum, describi statum hominis post lapsum, & restorationem per Christum. Nec ullam causam reprehensionis adfert, nisi quòd dicat *maiores Scripturæ habendam reuerentiam quàm ut germanus eius sensus hac licentia transfigeretur*. Sed habetur à Patribus maxima Scripturæ reuerentia; quia & germanus ac literalis sensus de habendo pro proximo qui nostra ope indiget, eoque opere diligēdo, diligentissimè retinetur, & mysticus quoque sensus in eo latens enucleatur. Sed vnus Calvinus licentia hæretica ipsam diuine Scripturæ literam tum alijs innumeris in locis, tum hîc maximè penitus transfigurauit, corripit, inuertit, Christi que verbis disertissimis clara & impudenti voce cōtradixit, vt iam ostēsum est.

IN LVCÆ CAP. II.

41. *Quod superest, date eleēmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

1. **C**H R I S T V S in his verbis, nec ironicè loquitur, vt quidam putāt, quasi opinionem Phariseorum irridēs, qua dicuntur exitimasse per solas eleēmosynas omnia peccata purgari, vel saltem rapinas condonari quando ex illis eleēmosynæ fiunt (neque enim vel tanti eleēmosynarij isti Pharisei erant, vel tam stulta eorū sententia vsquam legitur) nec solet Christus ironicè docere, maximè quū dicit, *Eb ecce*; nec etiam docet per solas eleēmosynas (vel cætera pietatis opera negligendo, vel in peccatis perseverando)
- om.